Summo Viro
D. HERMANNO CONRINGIO
Collegae, Praeceptori et Patrono suo
observanter colendo
S. D.
SAMUEL RACHELIUS.

Quod cum meo consilio tum Tuo hortatu susceperim negotium perfeci: de quo plura forte quorundam sententia commentatus sum, quam opus fuerit. quod absurdissimum atque aeque impium PROBABILITATIS Jesuiticae dogma, erudite ac solide jam refutaverit in suis ad Montaltii literas doctissimis Notis ille, qui Guil. Wendrockius appellari cupit. Aliorum vero sententia oppido pauca dixisse videri queam, quod Probabilitas Jesuitica tot firmissimis adserta voluminibus saltem aliqua scriptorum mole retundi debeat. Verumenimvero neutram censuram magni facturus sum, modo sim ex Te certior, ea quae scripsi et personatis illis vegrandibus Doctoribus opposui, vera esse. Si enim nimia fuerint, quae attuli, impii dogmatis detestatione et zelo veritatis gloriaeque divinae, cui hoc dogma lumen obstruit, me abreptum cogitent; sin pauciora, plura addendi nunquam deerit occasio. Et licet confidam, omnia quae Probabilitati regessi, esse verissima, sic ut animum habeam plane ἀμετάπτωτον, antequam tamen illa publicae lucis ac censurae exponam, (uti quidem a me exigitur) nihil mihi gratius fieri posset, quam si Tu, rerum divinarum humanarumque scientissimus, Doctoris officio fungi, et commentatione mea in PROBABILITATEM fugitivo saltem oculo (multum enim temporis studiis Tuis eripi nolim) perlustrata monere me velis, qua forte parte emendari, augeri, minui,

275v

332.

mutarive aliquid in melius possit. Ipsum quidem illud
dogma absurditatem impietatemq́ suam adeo manifeste
praesefert, ut majoribus machinis atque decretoriis
armis minime opus fuerit: cum tamen videam tantum
non omnes Jesuitas Casuistas (quibus magno suo in
Probabilitatem merito accensendi sunt, licet alius
gregis socii, Caramuel et Diana) non tam rationibus,
quam mole ac numero maxime Atheismi nutri-
culam, PROBABILITATEM suam, defendere, vix au-
sim solus in aciem prodire. Sed cum Diomede, Tro-
jana castra exploraturo, socium mihi adjungi velim,
σύν τε δύ' ἐρχομένω. Te itaque si is fueris, non
addam etiam Agamemnonis votum. Τοιοῦτοι δέκα
μοι συμφράδμονες, quod Tuum judicium pluris
faciam, quam Probabilistarum omnium. Utinam
modo Orbis, cui denuo monstrosum hoc dogma
inspiciendum exhibetur, satis accurate ejus deformi-
tatem ac vitia ~~[illegible]~~ agnoscat! Utinam Principes ac Re-
rump. gubernatores perspiciant, in quanto ipsorum
res periculo sint! Qualis enim Probabilistarum
est doctrina Moralis, talis quoq non potest non
esse eorundem doctrina Politica, quae quantorum
malorum ac calamitatum sit puerpera, Turcicus
qui jam grassatur furor nemini non testatum facit.
Angere conscientias, irritare aliorum professionibus,
Principes ac Magistratus intempestivo Religionis
stimulo in subditos, ceu hostes, concitare, illos,
qui primi primum impetum hostilem fortiter ac fi-
deliter excipere potuissent, infensissimo Christia-
ni nominis hosti laniandos devorandosq́ propinare,
tot animas durissimae servituti tradere, omnemq́
rem Christianam in summum discrimen adducere,
ejusq́ generis alia designare, maxime ipsis probabile

et gloriosum videtur. O fatalem stuporem! Saltem
enim ingemiscere liceat, si forte disertius omnia
horum vitia proloqui nefas fuerit. Tibi vero, Vir
summe, cum haec aliaq. exploratissima sint, te malo
audire, et ex te discere, ubi tandem, imo ecquam
sibi metam Probabilistarum insania sit positura?
et, si remedio forte locus non sit relictus, annon Ma-
jestati civili de iis statuendum fuerit, quod de Cyni-
corum natione pronuntiat πολιτικώτατος Cicero,
qui eam omnino ejiciendam esse putat, quod sit ini-
mica verecundiae, sine qua nihil rectum esse pos-
sit, nihil honestum; majori enim ~~[illegible]~~ suo merito Pro-
babilistarum secta funditus extirpanda fuerit, quod
sit inimica pietati, sine qua nihil sanctum, rectum
aut honestum esse potest? Vale.

334 276v

Summo Viro
Dn. H. CONRINGIO
Domino ac Collegæ
suo honoratiss^o

p